

anno; melitensem ab episcopo *Palmieri* eodem anno 1703 habitam; burdigalensem an. 1704 sub archiepiscopo *de Bezon*, bisuntinensem an. 1707 auctore Francisco Josepho *de Grammont* Vesuntionis archiepiscopo; aliam bisuntinensem eodem anno; beneventanam a cardinale *Orsini* postea Benedicto XIII; monfiasconensem an. 1710 præsidente *Bonaventura* ejusdem urbis episcopo; munsterdianas tres alias, primam an. 1711, secundam 1714, ultimam vero an. 1718 congregatam; tarraconenses in Hispania provinciale quinque annis 1712, 1727, 1733, 1738 et 1752; secundam de *Eichstett* an. 1713; ariminensem sub an. 1724 auctore cardinale *Davia*; neapolitanam curante cardinale *Pignatelli* an. 1726; portualacrensem per id temporis factam; auximanam an. 1735 sub cardinale *Lanfredini*; sabinam an. 1736 cardinale *Annibale Albani* præsidente; frascatensem opera cardinalis de *Yorck* an. 1763; conciliabulum de *Utrecht*, cui anno 1763 præfuit Joannes Meindart, urbis ejusdem archiepiscopus, quodque Clemens XIII nullum declaravit; bononiensem a cardinale *Gioanetti*; taurinensem an. 1788 archiepiscopo *Costa* præsidente, atque synodum Versalliarum ab episcopis (vulgo *appellantes*) congregatam anno 1796 et dissolutam a Directorio.

## CAPUT III.

## XVIII SÆCULI HÆRESES ERRORESQUE.

Quietistarum hæresim, et quæ inde consequitur, turpitudinum omnium licentiam, occultis conventiculis, docuit rursus, exercendamque proposuit *Joseph Beccarelli*, diœcesis brixien-sis presbyter, qui, ejus comperta nequitia an. 1710, die 13 sept., palam abjurare coactus est et ad septennium damnatus ad triremes. Illum vero decemviri, id est, excelsus Venetorum senatus an. 1711 perpetuo tetroque carceri addixerunt. Sollicitudini et vigilantia Joannis, card. Badoarii, brixien-sis episcopi, tribuenda est serpentis clanculum pestilentia detectio atque extinctio.

Præter *protestantes* et *remonstrantes*, etiam *contraremonstrantes* prodire. Sunt primi, ut diximus, lutherani et calvinistæ absolutam Dei prædestinationem cum libertatis interitu

propugnantes; *remonstrantes* vero *arminiani* prædestinationem illam respuentes sensu pelagianorum. Cum utriusque sectæ hæretici inter se communionem servarent, exorti sunt, qui tradidere non posse concordiam istam haberi, nisi abnegata alterius partis sententia, atque hi *contraremonstrantes* sunt appellati. De his vero pertractat Philippus Limborchius arminianus, in sua *Theologia christiana*, in belgicum et anglicum idioma translata. Derivatum nomen *protestantium* a *protestatione* facta an. 1529 ab hæreticis contra statuta comitiorum Noviomagi, seu Spiræ, dictum est alibi. *Arminiani* vero appellati sunt *remonstrantes*, quoniam post mortem Arminii ab omnibus ejecti ab Ecclesia, libellum titulo *Re-monstrantia* inscriptum obtulerunt Hollandiæ ordinibus. Quoniam eidem libello adversarii alium opposuerunt cum inscriptione *contraremonstrantia*; idecirco hi *contraremonstrantes* dicuntur. His adhæsit inter cæteros memoratus *Philippus a Limborch* Amstelodamensis, discipulus Vossii et Curcellæi, qui scripsit *Theologiam christianam* pluries typis editam, atque translata, ut dixi, in belgicum, anglicumque sermonem. Cessit e vita *Limborchius* an. 1712, ætatis suæ 79, et in ejus obitum orationem conscripsit Joan. Clericus.

Idem *Clericus* ob maximam librorum copiam a se editam in litteraria republica notissimus, quique sub initio anni 1736 obiit Amstelodami, non tantum arminianis adhæsit et pelagianorum sectans vestigia, intemperanter in libros Augustini calamum strinxit; sed ad evertendas veterum traditiones et impium dogma statuendum, quod necessaria non sit ad salutem fides in Christi divinitatem, duorum priorum sæculorum conscripsit historiam.

Fuere, qui perniciosissimos hoc sæculo sparserunt errores. Nam quidam post *M. Lock* in libro inscripto, *Essai de philosophie concernant l'entendement humain*, lib. II, cap. XI, putarunt bruta animantia intelligere et ratiocinari, quamvis limitato ordine et circa ideas particulares in illorum sensu versantes. Alii cum eodem, III<sup>e</sup> *Réplique à M. Stillingfleet*, autumarunt demonstrari non posse immortalitatem animæ rationalis, nisi



ex suppositione veracitatis divinarum promissionum, quibus Deus æternam vitam pollicetur justo, æternumque supplicium minatur improbo. Absurdior quoque est ipsius *Loch* sententia in libro, cui titulus, *Christianisme raisonnable*, quo statuitur duo tantum esse credenda tanquam fundamentalia religionis christianæ decreta, videlicet, Deum esse unum, et Christum ab illo fuisse missum, unumquemque vero hæc credendo salutem consequi, modo sectæ suæ, qualiscumque demum ea sit, obtemperet institutis. Ex his vero materialistarum, libertinorum, atheorumque numerus nimium excrevit.

Non tantum in *Dictionario* suo manichæismi hæresumque plurimarum *Petrus Bayle* inseruit momenta; verum etiam in IV tomis *De cometa*, qui apparuit an. 1680, adstruere ausus est ad bonos aut malos mores indifferenter se habere, et nihil conferre sive religionem, sive incredulitatem. *Spinosa* pejorem fuisse hunc hæreticum, vita functum an. 1706, senserunt complures.

Non uno decreto sinenses et malabarici ritus superstitiosi declarati fuerunt, posteaquam proscripti fuerant a sacra congregatione *de Propaganda* jam ab anno 1645, sed postea anno 1656 ad relationem P. Martini Soc. Jesu sublatis superstitionibus, approbati. Ad illos explorandos ad Sinas anno 1693 *Carolus Maigrot*; anno 1701 *Carolus Thomas de Tournon*; anno 1720 *Ambrosius Mediobarbus*; anno 1738 episcopus halicarnassensis *de la Beaume* in regnum Indiæ ulterioris Cochinchinam, tanquam legati apostolici missi fuere. Ritus itaque a *Carolo Maigrot* proscriptos *Carolus Thomas de Tournon* solemnī edicto damnavit Pudicherii anno 1704, IX kal. julias; sed in exilium pulsus a Sinarum imperatore, anno 1707, die 19 junii, Amacai consistere jussus est, ubi relegatus, eodemque anno 1707 promotus ad purpuram, pie obiit anno 1710, die 8 julii. *Mediobarbus* anno 1722 Romam reversus est, legatione sua inter magna pericula expleta, et episcopus Laudis Pompeiæ in Insubria creatus, eique vita functo successit anno 1742 *Joseph Galeratus*. Antistes vero halicarnassensis in Cochinchinam profectus, anno 1740 decessit. Omnes isti ritus, de

quibus agitur, reprobarunt. Decretum vero cardinalis *de Tournon* confirmavit Clemens XI anno 1711, ut diximus cap. 1, et rursus bulla *Ex illa die*, edita anno 1715, die 19 martii, et pariter Benedictus XIII, Clemens XII et Benedictus XIV, in cujus constitutione *Ex quo singulari*, emanata anno 1742, expressæ inveniuntur et confirmatæ Pontificum prædecessorum definitiones.

Horum rituum pravitas in eo potissimum sita est, quod Confucio templum erigunt, quod appellant *Miao*, quo nomine vocantur quoque templa idolorum; eidem immolant victimas, accensis cereis genua flectunt, et prostrati frontemque percutientes in terram illius spiritum, quem adesse putant, cultu religioso prosequuntur. Progenitorum pariter animas venerantur in scriptis tabellæ verbis *Xyn Goëy*, vel *Xin Chu*, quæ significant illic easdem animas, tanquam in throno vel sede morari. Deum vocant *Xange Ti*, ac *Tien*, quo nomine demonstratur ætherea materies; nuptis collo apponunt tesseram cum imagine idoli, quod vocant *Polleyarem*, et resticulam 108 filis contextam, croceoque succo delinitam; festum ob muliebria, dum primo fluunt, et puella apparet apta viro, concelebrant; tali fluxu laborantes adire templa, atque ad sacramenta accedere prohibentur; ad *Parreas*, ædesque ignobilium missionarios infirmum visitaturos et administraturos sacramenta, ire non sinunt, aliaque plura, quæ legi possunt in prælaudata Benedicti XIV constitutione.

Post editam bullam *Unigenitus*, de qua i capite, plures in illa damnari putantes orthodoxam doctrinam scholæ augustinianæ (quod a vero alienum esse idem Clemens XI altera bulla *Pastoralis officii*, declaravit), ad futurum concilium œcumenicum appellarunt. Horum primi fuerunt quatuor Galliarum episcopi, Mirapiscæ, Agathopolis, seu Montis Pessuli, Bononiæ et Santii, qui appellationis libellum vulgaverunt anno 1717, die 1 martii. Eidem libello die 5 ejusdem mensis ex 110 doctoribus, quibus constabat facultas theologica Sorbonæ, subscripserunt 97, duodecim nil decernentibus et hæsitantibus, et uno tantummodo repugnante. Crevit deinde magnopere



multitudo adversantium constitutioni, atque hi sunt, qui dicuntur *appellantes*. Verum ipsa constitutio a majori Galliarum quoque parte recepta est, atque ne quis audeat ei refragari, solemnī actu, quem *Justitiæ* vocitant, anno 1736, die 13 decembris rex christianissimus Ludovicus XV mandavit<sup>1</sup>.

Abutentes nonnulli auctoritate constitutionis *Unigenitus* ad roborandam molinistarum sententiam, tanquam Baii et Jansenii asseclas traduxere theologos, gratiam constituentēs in sanctæ dilectionis inspiratione, asserentes auxilia sufficientia quibusdam infidelibus et peccatoribus scelestissimis denegari, necessarium in sacramento poenitiæ amorem Dei propter se, saltem inchoatum, asserentes, et operum bonorum relationem in ipsum Deum, ut habeant finis rectitudinem, propugnantes<sup>2</sup>. Quanti sint hujus generis jansenistæ colligitur ex *Bibliotheca jansenistica* et *Dictionario jansenistico*, quorum illa P. de *Colonia* Jesuitam, istud vero P. *Patuel* ejusdem Societatis habet auctorem. Hanc opprobriosam notam Fulgentio Bellelli, nobisque intulerunt anno 1744 rutenus episcopus, et anno 1750 archiepiscopus senonensium, accusationibus suis ad Benedictum XIV delatis. Sed hoc jubente Pontifice scripta nostra ad

<sup>1</sup> Regia declaratio Versalliæ subscripta fuit die decembris 10.

<sup>2</sup> Duacenses theologi desciscētes a doctrina majorum, quorum censuram adversus propositiones Lessii laudavimus in not. 4 ad cap. IV sæculi XVI, aliam ediderunt contra theologos gratiæ per se efficacis propugnatores, præsertim thomistas, cum doctrina Jansenii eam, quam illi propugnant, comparantes, maxime Vincentio Contensonio et Antonio Massouliè nominatis. At sacra Indicis congregatio postremam hanc censuram proscripsit anno 1729, die 18 julii, causamque petenti canonico Theodoro *du Many*, responsum fuit die 3 aprilis an. 1731, ex hac censura abradenda esse, quæ dicuntur de doctrina thomistica et iniquam comparisonem quorundam catholicorum cum jansenianis. Quæ ex libro XVII Act. prædictæ congregationis, et ex Carolo Duplessis sunt alibi evidentissime demonstrata. Perperam itaque censuram istam quidam præferre audent latæ a duacensibus anno 1588 adversus Lessium. Hæc enim posterior proscrip̄ta est; at prior ab ipsis duacensibus confirmata anno 1648, et adversus Jesuitam Deckerium, qui illam calviniani insinulavit erroris, vindicata est, etiam ab episcopis atrebatensi et tornacensi. *Bibliotheca* vero jansenistica damnata est decreto sacre congregationis Indicis anno 1749, die 20 septembris, et *Dictionarium* jansenistarum anno 1754 die 11 martii.

trutinam revocata, et diligenter discussa omnem evaserunt censuram, et insuper nos insimulatores refutavimus. *Bibliotheca* quoque et *Dictionarium* jansenisticum prohibita Romæ fuerunt. Qui ergo scriptoribus orthodoxis et prædictarum doctrinarum defensoribus, jansenianæ hæreseos notam inurant, Ecclesiæ turbant pacem, atque ii sunt, qui apostolicas infringunt constitutiones, dum pro illis pugnare videntur; quoniam iisdem constitutionibus prohibemur inferre istiusmodi criminationes, et cum proscriptis erroribus confundere, quæ in scholis catholicis propugnantur.

Serpere aiunt occultam quamdam hominum societatem, quam gallice vocant *des Francs-Maçons*, italice *de' Liberi Muratori*, secretos conventus agunt, aliis prorsus ignotos, emisso jurejurando nemini congressus sui instituta et consuetudines revelandi. Testantur tamen a se nunquam vel de religione vel de principibus pertractari. Quæ nonnullis libellis in lucem editis de hac societate narrantur, fabulosa vulgo creduntur. Ut ut sit, secreta hujusmodi conventicula et juramenta improbantur; ex his namque principes suspicari possunt molitiones in rempublicam, et Ecclesiæ præsules vitiorum errorumque fomenta. Provide idcirco *Benedictus XIV* et *Clemens XII*, PP. MM., necnon utriusque Siciliae rex *Carolus*, incompertam hanc sectam severioribus legibus proscripserunt. Meminimus evangelicæ sententiæ Joan. III: *Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.*

Nec ignoramus impium illud proloquium,

Jura, perjura, secretum pandere noli,

e latebris priscillianistarum erupisse.

Omnium fere impietatum errorumque semina inveniuntur conspersa in perniciosissimo opere, procuso an. 1738 typis parisiensibus, cum simplici titulo *de l'Esprit*, appositis dumtaxat in fronte verbis Lucretii ex lib. I *De rerum natura*:

Unde animi constet natura videndum,  
Qua fiant ratione, et qua vi quæque gerantur  
In terris.



Severioribus censuris a *Clemente XIII* idem opus confixum est<sup>1</sup>. Permulti quoque reperiuntur errores circa fidem et bonos mores in libro inscripto, *l'Esprit de M. de Voltaire*; quem nos peculiari censura perstrinximus.

Post Berti mortem non modo societatum *Franc-Masonum*, de quibus sæculo sequenti sermo redibit, existentia luce meridiana clarior evasit, verum etiam *impietas* seu *atheismus* longe lateque per Galliam grassatus est, aliis nationibus ab hujusmodi peste haud immunibus, opera quorundam incredulorum et materialistarum, qui sub ementito philosophiæ nomine, revelationem, divinum cultum, Deum ipsum atque mali bonique notiones de medio tollere conati sunt; sed neque reges ac civilis societas horum rabidorum canum morsus effugere quiverunt. Et ut erroris est inconstantia, qui Deum agnoscere detrectabant, non pauci seipsos, sive humanam rationem, pro Deo colere in illa pene incredibile gallicana revolutione non erubuere.

Impiorum coriphæus dici debet *Franciscus Voltaire*, natus prope Parisios in oppido vulgo *Chatenay* 20 februarii anno 1694, e vivis ereptus 30 maii 1778 post plurima impietatis plena conscripta volumina. Tanto adversus Christum Jesum ferebatur odio, ut in horrendam illam blasphemiam: « Conteramus infamem, » Dominum Jesum Christum significans, sæpius erumperet. Quem secutus est *Joannes Jacobus Rousseau*, genevensis, perditissimis moribus vir, in lucem editus 28 junii an. 1717, mortuus vero 2 julii 1778 in quodam Parisiorum vico; cujus opera, præsertim *Emilius (l'Emile)* seu liber educationis, et *Contractus socialis* eo periculosiora juvenibus præsertim sunt, quo sub elegantissima styli forma multimodi contra religionem errores, velut anguis in herba latent. Tertio loco recensendus est *Carolus Secundat*, baro de *Montesquieu*, editus 18 januarii 1689 et

<sup>1</sup> In hunc proscriptum librum acuit stylum eruditus auctor alterius operis, cui titulus, *Examen sérieux et comique*, in duas partes distributi, ac in lucem editi an. 1759. *Antissiodori* Dictionarium itidem *encyclopedicum* absurdissimis scatens erroribus, vigilantia christianissimi regis et Sedis apostolicæ anathemate damnatum tenebris, et præfocatum studuit an. 1758 refellere *Abraham Joseph de Chaumeix* Aurelianensis.

morti donatus an. 1755 sub 10 februarii, homo religione epicureus, doctrinis pestilentissimus, ut legenti ejus *Persianas Epistolas* patet. Sub vitæ autem fine suos errores ejuravit damnavitque, et catholicam religionem professus est. Præcipuum ipsius opus est *Spiritus Legum (l'Esprit des Lois)*. His adjungendi sunt, *D'Alembert*, filius cujusdam monialis apostatæ, sed ignoti patris, qui lucem aspexit 16 novembris an. 1717, vitam deposuit 29 octobris 1783 postquam librum adversus Jesuitas exararat, et pessimo operi *Encyclopædia* elaborando non parvam contulerat opem; *Dyonisius Diderot*, natus in civitate Lingoniensi (Langres) anno 1713 et repentina morte sublatus 30 julii 1784; *D'Alembertii* in conficienda *Encyclopædia* collaborator assiduus, quique in opere *Systema naturæ* moralitatem omnem explodere atque respuere conatur, cupiens, insuper, aiebat ipse, cum reges, cum sacerdotes extinctos iri; *Paulus Thierrri*, baro de *Holbac*, in lucem editus an. 1723, defunctus autem 1789, incredulorum Mæcenas, qui in opere cui titulus *Moralis universalis* totum atheum se prodit; *Helvetius*, materialistarum sui temporis facile princeps, auctor operis *De spiritu*, qui vivis adfuerat anno 1745, et vivere desiit vitiorum tabe putrefactus an. 1771; marchio de *Condorcet*, *Voltairii*, *Alembertii* et *Frederici II* Prusiæ regis amicissimus, religionis vero et regum implacabilis hostis, cujus vitæ initium contigit anno 1743, finis vero 1793, cum ipse sibi mortem intulisset.

Pseudophilosophorum ejusmodi sequaces extiterunt *Fredericus II* cujus meminimus, *Josephus II* Romanorum imperator, *Catharina* item *II*, imperatrix Russiarum, *Christianus VII*, rex Daniæ, *Gustavus III* Sveciæ, *Josephus I* Portugalliæ, *Maria Antonieta* Galliæ regina<sup>1</sup>, necnon dux de *Choiseul*, comes de *Argenson*, *Malesherbes*, *J. Paulus Marat*, *G. Jacobus Danton*, *Robespierre*, *Mirabeau* et *Ludovicus Leo Saint-Just*, Galli; comes de *Aranda*, Hispanus, marchio de *Pombal*, Lusitanus, et

<sup>1</sup> Maria Antonieta præteritæ vitæ erratum pœnitens, christiana resignatione subivit infame supplicium (guillotina) a revolutionariis contra omne jus fasque ipsi inflictum.



*Jannonius* Neapolitanus, qui *Voltairii*, cujus discipulus erat, methodo, contra sacerdotes, cæterosque religionis ministros ipsumque romanum Pontificem debacchatus est.

Hoc etiam sæculo extollere caput visus est vetus *cæsarismus* seu *regalistarum* hæresis, quæ asserit ecclesiæ leges subjectas esse regum, civilisque potestatis acceptationi; nullamque vim obtinere donec gubernia eas perpenderit, ac statui vel reipublicæ utiles, vel saltem innoxias declarando, *regio placet* seu approbatione communirentur. Hanc quoque leges Ecclesiæ acceptandi repellendive facultatem ab ipsa regiæ majestatis et potestatis natura refert acceptam. Merito igitur hic error a SS. D. N. Pio IX *Syllabo* 80 propositionum anno 1864 confossus damnatusque est. Præter *regalistarum* doctrinæ adhæserunt pene innumeri regum aulici, eam quoque hodie (an. 1879) propugnant omnia Europæ gubernia, uno fortassis vel altero excepto. Initium nostra in Hispania sumpsit sub rege Carolo III a comitibus *de Aranda* et *de Campomanes* (hic erat Castellæ senatus promotor fiscalis) a *Pimentel* et *Chamucero* præterito sæculo, atque ab aliis Gallicanorum doctrinis nimium addictis. Extra Hispaniam *regalismum* sequuti sunt, ac ejus protoparentes haberi debent theologi *gallicani* et jurisconsulti, præsertim ii qui Declarationem anni 1682 condiderunt, atque eam pro aris et focis duobus sæculis propugnarunt, quique ad tuendas Ecclesiæ gallicanæ appellatas libertates, vel in odium auctoritatis Pontificum, potestatem regis ac *Parlamenti* ad sidera usque extollendo, eisdem Ecclesiæ leges subjectas volebant.

Regalismo affines vel ejusdem species censendi sunt *jansenismus moderatus*, *espeneismus*, *febronismus*, *eybelismus*, *jozephismus*, et errores *Tamburini* jurisconsulti neapolitani. *Jansenismus*, dictus moderatus, eo quod sub obsequii auctoritati politicæ debiti larva se contexit, tum in Gallia, cum in schismatico ultrajectensi conciliabulo pullulavit, præsertim vero in Italia, ubi Scipio Ricci pictoriensis et patensis episcopus jansenismum quodammodo instauravit in concilio 200 clericorum Pistorii ab ipso celebrato, ubi plurima, tam adversus auctoritatem R. Pontificis, matrimonium, indulgentias, cen-

suras ecclesiasticas et liturgiam; quàm religiosam tum virorum, tum monialium institutionem, decrevit; quæ omnia Pius VI per constitutionem *Auctorem fidei* anno 1794 confixit anathemate<sup>1</sup>. *Espeneismus* parentem agnoscit *Bernardum Van Espen*, qui gallicanismum una cum jansenismo conjunxit, ac in Hollandia propagavit. Hic autem, postquam ultrajectensi (de Utrecht) schismati foverat, suspensus ab ordinibus, et politicis officiis a laica potestate expoliatus, vitam finivit. *Febronismus*, sic appellatur a *Faustino Febronio*, sub quo nomine se abscondit Joannes Nicolaus de Hontheim, Ecclesiæ trevirenensis suffraganeus episcopus. Hic enim magistrum suum Van Espen prætergrediens, docuit omnem Ecclesiæ potestatem esse *radicaliter* et *principaliter* in fidelibus, *quæ adeo eis competit ut ea privari nequeant; usualiter et usufructualiter* in prælatis, quorum primum romanum agnoscit Pontificem, verum sola honoris ratione; totam denique circa sacra externam jurisdictionem ad laicas spectare potestates. *Eybelismus* ab *Eybel* canonici juris consulto, atque scientiæ ejusdem Vindobonæ in Austria professore, sortitus nomen, episcopus romano Pontifici pares facit; Ecclesiam dicit esse rempublicam cui romanus Pontifex præest, non tamen alia quam monendi hortandique auctoritate.

Febronismum ex parte sequutus est *Tannucius* Siculus, S. Alphonsi M. de Ligorio honestatus epistolis.

*Josephismus* dicitur monstruosum illud juris systema, quod Febronii et Eybeli complectens errores, a Josepho II, Romanorum imperatore, in Austria, et a Leopoldo ejusdem germano fratre, Etruriæ magno duce, in Thuscia executioni mandatum fuit, præbente huic suam opem præfato episcopo Ricci. Cumque tota hæc adversus Ecclesiam conjuratio præcipuos auctores haberet jansenistas, quorum caput erat *Petrus Tamburinus*, Neapolitanus; *Josephismus*, *Riccismus*, *Leopoldismus*, vel *Tamburinismus*, indiscriminatim audit.

<sup>1</sup> Vide caput *De disciplina*.